



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VIII. An juramentum vi, ac metu extortum, vel dolo aut errore præstitum obliget, av servandum sit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

usuris, si debitor hoc iuravit, illicitam fecit repetitionem; nisi prius iuramenti talis relaxatio impetretur. *Arg. c. Ad audientiam 4 De his qua vi met. cau. Sc.* Quia iuramentum hoc, cum sine peccato servari possit, obligat, nisi nova causa repetendi superveniat, quo in casu cessat obligare prius factum iuramentum, quod strictæ interpretationis est. *Ad Nostram 20. h. t.* Et de iure postmodum exorturo intelligi non potest. Interim tamen certum etiam est, quod hoc iuramentum denuntiationem Evangelicam usurarii, ob delictum commissum, non impediatur, ad corrigendum scilicet delinquentem, & peccatum impediendum (cum iuramentum non fuerit de non denuntiando ad correctionem, sed de non accusando ad pœnam) ita ut parte etiam non petente, Iudex ex officio inquirere possit contra usurarium, in ordine ad restituendas usuras, & possit Iudex Ecclesiasticus edictum generale promulgare, quo præcipiatur sub censuræ interminatione, ut qui criminis usurarii, quamvis iuraverit, crimen se tale non manifestatarum, notitiam habent, illud deuntent, vel in iudicio de eo deponant.

## §. VIII.

*An iuramentum vi, ac metu extortum, vel dolo aut errore præstitum obliget, ac servandum sit?*

Si possit absque peccato jurantis impleri iuramentum, quod gravi metu injustè incusso extortum est, obligat illud, nisi vel à parte, cui factum est tale iuramentum remittatur illud, vel à legitimo Superiore relaxatum sit. *c. Si vero 8.*

*Sc. Verum 15. h. t.* Metus etiam quamvis gravis sit, & sit injustè incussus, non tollit absolute voluntarium, ut ex dictis jam patet; neque tamen efficaciter etiam præjudicium facit juranti, quamvis metu levi tantum extortum sit, aut in observatione illius tantum venialiter peccaretur, in favorem illius, qui per metum talem iuramentum tale extorsit, ne hic ex malitia sua commodum habeat.

Si tamen ex errore & dolo præstitum iuramentum fuerit, & hic fuerit antecedens, sive causam contractui dederit, verseturque circa substantiam rei juratæ, nullum tale iuramentum, & irritum est, nec relaxatione indiget, cum error talis, aut dolus omnem consensum tollat, si verò sit circa qualitates, sive circumstantias tantum accidentales, iuramentum est validum, nisi qualitates tales redundent in substantiam rei, de qua Theologi Morales videri possunt.

## §. IX.

*De alijs nonnullis iuramentis licetis, qua obligant, & omnino servanda sunt.*

PRIMO obligatur suo iuramento debitor, qui expressè, vel tacitè iuravit Creditori, quod super re oppignorata, ob fructus ex ea perceptos, & consumptos, nullum gravamen, aut molestiam ei illaturus sit, neque pignus repetiturus, donec pecunia mutuo accepta sit illi soluta. *c. Ad nostram 7. h. t.* Secundò obligantur suis iuramentis Abbat & Monachi, qui pro sui Monasterii debito iuraverunt, quod velint obsides (minus rigidè sumendo hoc nomen) manere interim, dum debitum sit solutum, uti & si de-

X x 2

iussor